


COROLLARIA

EX

JURE UNIVERSO.

- I. **J**us Eligendi regulariter solis Capitularibus Ecclesie vacantis competit, per privilegium tamen & prescriptionem etiam Clerici extranei illud jus consequi possunt.
- II. Abbas alicujus Monasterii in Episcopum rectè eligitur.
- III. Compromissarius Electionem de se factam acceptando potest Majora efficere.
- IV. Prælatus bona Ecclesie immobilia nequidem pro aliis utilioribus liberè alienare potest.
- V. Hereditatem tamen vel legatum rei immobilis Ecclesie relictum validè repudiat.
- VI. Jus Assyli Reis ad Ecclesiam confugientibus legibus tum Civilibus, tum Canonice constitutum est.
- VII. Hoc Jure non tantum Laici, sed etiam Clerici & Religiosi, imò, Hæretici, Judæi, caterique Infideles gaudent.
- VIII. Qui in Duello alterum occidit etiam Immunitate locali gaudet.
- IX. Pactum Anticreticum tanquam usurarium meritò à Ss. Canonibus improbat.
- X. Sicut & pactum legis Commissoriae pignori adjectum.
- XI. Rex Romanorum etiam vivente Imperatore eligi potest.
- XII. Qui tamen non nisi Vicariam Potestatem habet.
- XIII. Sede Moguntinâ vacante Capitulo non competit Jus convocandi Electores Imperii.
- XIV. Ad Electionem Imperatoriam omnes Electores, etiam de Electoratu nondum investiti, vocandi sunt.
- XV. Elector ad Electionem Imperatoriam non vocatus eam ut nullam impugnare nequit.
- XVI. Nec Mandatum sui Legati ad certam personam restringere potest



- XVII. Procurator in iudicio victus appellationem interponere, non etiam interpositam prosequi tenetur.
- XVIII. Sententia in iudicio per falsum procuratorem agitata lata in favorem falsi procuratoris non roboratur per Rationem Domini.
- XIX. Donatio omnium bonorum tam presentium, quam futurorum, valida est.
- XX. Minor 25. annis sine consensu Curatoris mortis causa donare potest.
- XXI. Sicut & filius familias de peculio adventitio extraordinario.
- XXII. Licet de eo testamenti factio non habeat.
- XXIII. Actiones familiae Erciscunda, Communi Dividendo, & finium Regundorum mere personales sunt.
- XXIV. Juramentum iudiciale ab Actore, qui in probatione omnino defecit, Reo delatum, non operatur necessitatem praestandi, aut referendi.
- XXV. Quamvis Accusator in probatione deficiens Accusato ad sui absolutionem Juramentum deferre non possit.
- XXVI. Accusatus tamen ad sui condemnationem Accusatori Juramentum iudiciale recte defert.
- XXVII. Utrum Compensatio locum habeat in Deposito, & Commodato, sub distinctione resolvo.
- XXVIII. Invasus non tenetur fugere.
- XXIX. Principi contra legem DEI & Naturae praecipiente minime parendum est.
- XXX. Homines otiosi ad labores cogi & incorrigibiles relegari possunt.
- XXXI. Carmen musicum invito Domino furtim describens in Charta propria, ejusdem dominium quidem nanciscitur, non tamen eoque, ut non possit Conveniri vel furti, vel injuriarum vel Legis Aquiliae actione.

F I N I S.



